

AD LECTOREM.

rum illarum conditionem, tum rationem, quæ eruta metalla usui suo homines aptaverint, nulli tradita esse scripturum. Certè sapientissimum regem Salomonem suas habuisse in Ophir aurifodinas, ingens auri vis, quæ naves advexere, facit fidem. Quod tanta sapientia regem non potuerit latere America, quod triennium illa navigatione exactum, quod tantis opibus spem domini naves impleverint, in Americam penetrasse ferè perivadent. Accedit quod cum Phœnicum, gentis nauticæ rei peritissimæ, quæ navibus suis omnia maria scrutata, & extra fretum Herculeum longissimè est abvecta, teste Plinio, Diodoro Siculo, Strabone, Pausania, Appiano, classè suam junxerit, quod Columbus in Hispaniola auro divite insula Americæ invenerit specus altissimos & vetustissimos in immensum spatium sub terra porrectos, quos Salomonis aurifodinas fuisse judicavit. Ab Aytanis sanè, rei metallicæ prorsus imperitis, & venas in terræ visceribus ignorantibus, non fuisse effoscos, extra omne omnino est dubium. Sed & ingens auri argentiqve modus, quem Pythius Lydus Persarum regi Xerxi in belli sumtus obtulit, & immensæ Cræsi opes, quibus suam felicitatem metiebatur, argumento sunt, illorum metallorum in Asia minore fodinas feracissimas fuisse. Ille enim cum Darium quondam aurea platano & vite sibi conciliaffet, Xerxem ejus filium, Græciæ imminentem, cum toto exercitu hospitio excepit, & magnificè habitum dono duorum millium talentorum argenti, auri verò quadragies centenorum millium nummorum Daricorum tentavit. Cujus uxor, quæ arte mariti animum, nihil nisi opes ex fodinis metallicis redundantes disponentem & auro inhiantem inflexerit, legi potest apud Plutarchum. Annibal Pœnus ex Hispaniæ fodinarum metallicarum una quotidie tria argenti talenta hausit. *Natura enim ejus regionis, inquit Florus, circa se omnis aurifera, miniq, & Chrysocolle & aliorum colorum est ferax.* Sexto Mario Hispanorum ditissimo magnitudo pecuniæ ex aurifodinis factæ, malo apud Tiberium Cæsarem vertit, aurariasque ejus, memorante Tacito, Cæsar sibi seposuit. Quin ad tantum famæ provectæ sunt metallicæ Hispaniarum